

cessorum suorum semper omnia supradicta attendere, complere, & observare, & nullo tempore contravenire. Et itaque Aiquinus Portunarius ut supra legitur, tactis sanctis Evangeliiis in anima sua, & animarum omnium supradictorum hæc sibi jubentium juravit, quod ipse, & universi, & singuli suprascripti omnia prædicta complebunt, attendent, & observabunt, & nullo tempore contravenient, & inde publica instrumenta, & quanta quilibet prædictorum inde voluerit fieri præceperunt. Actum pro communi Bistagni &c. Interfuerunt testes D. Theodorus de Bagnaria, D. Obertus Castellanus de Bestagno, Anselmus Caiffa, & Dalfus de Coletto. Ego Opizo de Montemorossino Notarius jussu prædicti D. Electi, & hominum de Bestagno, ut supra legi, & scripsi.

*Litteræ F. Leonis Archiep. Mediol., quibus FF. MM. S. Francisci Alexandriae concedit facultatem absolvendi pœnitentes.*

214

M C C L I V.

Anno Nativitatis Domini MCCLX., indictione III., die Dominico XII. mensis septembris in Alexandria, præsentibus D. Bellono, & D. Boneconero testibus. D. Franciscus de Canevanova potestas Alexandriae præcepit mihi Bono Joanni de Costancio Notario infra scripto, ut hanc litteram authenticarem, & in publicam formam instrumenti redigerem, tenor cujus talis est. Frater Leo de ordine fratrum Minorum divina paciencia S. Mediolanensis Ecclesie Archiepiscopus religiosus viris, Ministro, Custodi, & Economo fratrum Minorum Alexandriae salutem in Domino. Cum ex cura pastoralis nobis immineat salutem gerere animarum, quarum in die Domini ante tribunal Christi rationem reddere nos oportet, & vester ordo in diversis mundi partibus constitutus fidelium esuriat fructum, pro quibus mori Dei filius est dignatus, volentes, & nobis providere, & fraternitati vestre gratiam facere specialem vobis, & confessoribus vestri ordinis in Alexandria, & ejus diocesi concedimus plenam, & liberam licentiam audiendi confessiones peccatorum, & absolvendi confitentes, & de modica iniectione manuum, seu levi culpa, quæ conceditur a jure, & dispensandi in votis, illis exceptis, quæ sibi Apostolica sedes reservavit, & illis vere pœnitentibus, & confessis, qui ad prædicationes vestras patienter interfuerint audiendas XL. dierum auctoritate nostra de injuncta sibi pœnitentia indulgentiam faciendi, vos enixe exhortando, quatenus circa prædicta studeatis taliter vos habere, quod vobis fructum acquiratis in cælis, & altissimo gloriam, qui in talibus sua clementia gloriatur. Datum in loco Lignani die lunæ VII. mensis septembris MCCLIV., indictione XIV. (1) Ego Bonus Joannes &c. hanc cartam &c.

(1) *Currebat indictio XII., quæ loco XIV. hic est substituenda: reliquæ enim notæ cohærent.*

*Licentia Archid. & Capit. Alex. data Rolando ædificandi monast. Solerii.*

M C C L V.

215

Anno Dominicæ Incarnationis MCCLV., indictione XII., die lunæ ultimo exeuntis augusti, præsentibus D. Ruffino de Bergoglio, & Anselmo Perullo, & Ottone Presbitero, & Ruffino Dianefio, & D. Ruffino Galia rogatis testibus in Alexandria Capitulum Alexandriae Ecclesie ad honorem Dei omnipotentis, & B. Mariæ Virginis, atque Beati Petri Apostoli, & omnium Sanctorum concessit, atque licentiam, & liberam auctoritatem dedit fratri Rolando Magino commissario, sindaco, actori, & procuratori, atque defensori monasterii S. Mariæ de Montebruno Taurinensis diocesis nomine ipsius monasterii faciendi, & constituendi quoddam oratorium, sive monasterium in diocesi, sive districtu civitatis Alexandriae, videlicet in villa Solerii in terra, sive sedimine, quam, vel quod dictus Rolandus emit, sive alio modo aquisivit nomine dicti monasterii, quod sedimen fuit D. Petri Pescheriæ, a quo illud emerunt, vel forte ab aliis est acquisitum, tali modo, quod prædictum oratorium, sive monasterium, vel Abbatissa ipsius monasterii, sive conventus ipsius alicui tributo, vel oneri nullo tempore sint subiecti, vel subiecta exceptis duobus cereis, quorum . . . usque ad septem annos . . . post trium tantum librarum ceræ quilibet debeat esse, anno quolibet, nisi remanserit voluntate capituli Alexandrini, vel majoris partis, quos cereos anno quolibet perpetuo in vigilia Apostolorum Petri, & Pauli dicto nomine census, & in signum subjectionis, & reverentiæ dictæ Ecclesie Alexandriae, & capitulo decreverunt statuente, quod prædictum monasterium, sive oratorium in omnibus, & per omnia sit liberum, & exemptum ab omni datione præstatione, & exactione, sicut alia Monasteria sui ordinis solvendo tantum modo census supra memoratos. Et sic dictum capitulum confirmando eidem Rolando prædicto nomine prædictorum sedimen, monasterium, & omnia, & singula decreverunt, quod nulli omnino hominum in eorum ditione commorantium liceat hanc concessionis, & confirmationis paginam infringere, aut ei ausu temerario contraire. Si quis autem id attentare præsumperit, & commonitus non resipuerit, iram omnipotentis Dei & dicti capituli se noverit incursum. Ego Manfredus Lumbulicus Notarius S. Pal. &c. hanc cartam scripsi, & dedi.

*Concessio Ecclesie, & Cæmeterii FF. Humiliatis secundi ordinis facta ab Henrico Episc. Aquens. & Capitulo.*

M C C L V I.

216

Anno Domini MCCLVI., indictione XIV., die Martis XVIII. julii. Hæc est ordinatio facta inter Aquensis canonicæ capitulum, videlicet D. Loterium præpositum Aquensem, D. Ruffinum Archipresbiterum, D. Bovonum Presbiterum, D. Presbiterum Ogerium, D. Presbiterum Ottonem, D. Presbiterum Petrum, & D. Ogerium ibidem pro